

III.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 17.

---

*Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elisium-Meum.-Die Martis 28 Mart. 1809. (Neov 10. Mart. 1809)

---

Et cum Jove Deus ex machina.

*Paus.*

*Confabulantes Manes.*

*Vulcanus. Populus Lemni.*

**V**ulcanus. (ex Olympo ad Lemnum delapsus). Hoc quidem est Minervæ egoisticam nativitatem magis egoistica adhuc ratione meo periculo ulcisci! (Corpus erigit), Ubi quæso sum? ut me habeo (claudicat) Diespiter! compensa, obsecro, mentis dote, quod pedum agilitati demebas! — Habeo gratiam boni Lemni! quod hospitali me ratione exegeritis; — habeo inquam gratiam!

*Pop.* (hilari concentu) Jo! salve Hephæstos! salvus terque quaterque esto, salve iterum iterumque nate Dea, magni Jovis, reginæ Deum, magne fili!

*Vulc.* Vete probus bonusque populus estis, quod ita de adventu meo exultetis, tripudio, jubilo incedatis — apud vos morari, isthic sedem figere, vobiscum agere, conversari, familiari vestra consuetudine frui deinceps volo.

*Pop.* Jo salve Hephæstos! salvus esto, salus nobis, Insulæque nostræ, esto tutela-  
ris noster!

*Vulc.* Mea officina sit in medio vestri,  
Magni Tonantis fulmina vestro ex territorio  
ad Olympum egrediantur.

*Pop.* Esto celebratus tempus in omne  
Hephæstos! Dominator flammæ, cuncta de-  
pascentis.

*Vulc.* Hinc ille suum, quo omnia mode-  
ratur, sceptrum tollat.

*Pop.* Gloria, salus, honor esto Regi  
prunarum!

*Vulc.* Delii aureus Currus, tripes in  
triclinio Olympi, aurea virginæ Harmoniæ  
periscelis, fortisque arma Herculis, matris  
meæ sella, diadema Ariadnes, omnia artis  
meæ miracula, hic apud vos fabricentur.

*Pop.* Gratias, mille Gratias Paridi, tibi-  
que Hephæstos!

*Vulc.* (Intra se: de Pandoræ pyxide ni-  
hil memorabo eis, hæc alioquin nepotes eo-  
rum attinet solum), Apud vos ignis, vivi-  
que Carbones sunt.

*Pop.* Mala ex Pandoræ pyxide evolave-  
re — spes sola residua — pro nobis.

*Vulc.* Sperate! sperate! (Intra se: pro  
nepotibus vestris — fortassis adhuc tardius).

*Pop.* Neptunus Tridentem suum & tibi  
debet, & hic artis opus est admirandæ tuæ.

*Vulc.* Nequamquam — ante eo gavisus est,  
quam ego malleum tractare occiperem, sed  
novum eudendi est consilium.

*Pop.* An erit is talis, qualis est, quem ille manu firma tenet? edissere, quæsumus, dic Hephæstos!

*Vulc.* (Paullo cunctabundus). Jam jam videbimus. En Divorum nuncium *Mercurius*! caduceum leniter versat, alas moderate impellit; quid adfert Jovis ales!

*Mercurius*: Adfero duas mundi delicias: spem alteram — alteram metum.—

*Vulc.* Aisne spem, & metum? loquere, sis, audiamus.

*Mercurius* fessus considet, caduceum seponit, e sinu protrahit & legit;

*Diarium politicorum Eventuum.*

*Parisiis die 5. & 6. Martii.* Monitor continet nuncium Londino de 11. & 13. Febr. In primo memoratur inter cetera: „Imperator *Alexander Sveciæ* regi propositionem pacis fecit, quam is deprecatus solita animi pertinacia, & aures ultra obturuit:” hoc argumentum memoratæ *Ephemerides* seqv. illustrent animadversionibus; Procul dubio Imperator *Russiæ* *Petropoli* tremit, pace cum *Svecia* opus habet; metropolis ejus in periculo versatur, exercitus ejus cæsi sunt, Centenisque armatorum millibus, quos *Svecia* Eidem opponere valet, aliquot solum mille objiciendo est; quam mala sunt adjuncta aularum affectibus agitatarum! *Anglia* in sinu gestit de lucta, quæ Interitum *Sveciæ* secum ferre, statumque potentiae in mari *Balthico* mutare debet; Tum promore suo, parum pudenti ratione in eos *Continents* Status in-

vehitur, qui adversam Galliae Politicam sequuntur, atque in Anglorum systema propendent.

*Londini* Ephemerides Americae borealis perceptae sunt usque 7 Januarii. Quemadmodum colligitur, senatus Reipublicae Legem sanxit, qua interdictum sub gravissima poena sustinetur: & die 17. Dec. Collegium Representantium potiore 54 votorum parte Decretum de lege quodvis externum commercium suspendente edidit, die 29. Dec. decretum est: Omnes Americanas naves ad portus foederatorum Statuum revocari, neque ulli in posterum, sub vexillo extero, aut cum venia excurrendum esse. Lex intuitu suspendendi externi cujusvis Commerci, ad hoc usque in una saltim Camera probata, in ceteris continet: Dispositiones in hoc argumento, prout & quae de Interdicto agunt, in favorem eorum belligerantium Statuum desinere debere, qui primum Decreta Commercio praedjudiciosa retracturi sunt.

Madridi litterae de 23. Febr. in caeteris hac habent. „Ex tempore occupatae Caesar-Augustae nemo dubitat de propinqua subjugatione provinciarum in quibus principes Seditionis reliquias virium rursus collegerunt; spes eorum nitebatur praecipuis angustiis montium Sierra Morena nuncupatis, verum Caesar-Augustae occupatio 60 millibus Gallorum patentem viam aperit, pari copiarum numero constanti in Catalonia exercitui se conjungendi, montes Andalusiae per Valen-

tiam. Murciam, & Granadam obeundi, interea exercitus Portugalliae per Extremam duram in provinciam hanc irruptionem suscepturus. (factum puta!)

Die 4. h. m. Nancæum præteriit Cæsareus Russicus in Hispania legatus Excell. Dominus Strogonov, per Parisios Madritum proficiscens; iter & missio hæc Russici ministri arcti inter Russiam Galliamque nexus novum argumentum censetur.

*Hollandia.*

*Amstelodamo* de 7. Martio. Optimus princeps noster rursum iter in Geldriam & Transalalanam suscepit. Legatio Præsidis Republicæ Americane de 8. Jan. expectationem nobis facit: fieri posse, ut Interdictum hoc adhuc anno perseveret. Hoc & nuper admodum sparsi metus novi belli in Continente mox notabilem vim in pretia mercium exeruesunt adeo: ut diversi articali ipso illo momento auctiore, quam ante pretio fuerint, præprimis lanae pretium elevatum est.

*Status Foederis Rhenani.*

Rex Saxoniae a secretis Consiliis & Supremum Stabuli Magistrum Comitem a Marcolini secretioris Conclavis ministrum denominare dignabatur.

Die 7. h. m. præter Cursorem Russicum, qui Petropoli Parisios citato cursu tendit, aliquot personae de comæatu Gallici Vindobonae legati in itinere isthac (Stuttgarda) Parisios transierunt. In Diario Cæsareo Francofurt. Gallico legitur: Gallicum

Viennae legatum Gen. Ducem ab Andreoffy, ab aula sua discedendi Jussu accepisse, Parisiosque revertendi, atque 6 h. m. quin moras neceret, Augustam praetervectum fuisse.

Nuncios Londino de 2. Jan. per Gothenburgum memorant; parari de praesenti in Anglia expeditionem 50—60000 constantem. Multa planiformia navigia novae structuræ pro transvehendo Equitatu eriguntur.

Petropolitani ferunt nuncios de 15. Febr. Cels. Principem a Schwarzenberg Caesareo-Regium Austriacum legatum, die 12 h. m. apud Caesaream Majestatem primum solennem accessum habuisse. Imperatorem sesqui altera hora in Conclavi suo secreto cum eo sermoni indulsisse.

Ephemerides Universales de 7. h. m. memorant: Deputati ad pacem conficiendam Viddinum venientes adventum suum Russico Copiarum Praefecto Principi Procorowsky annunciandum curarunt; qui illico Colonelum. eos salutandi gratia, Viddinum eis obviam expediverat; in itinere suo usque Jassy Russica cohors honoris gratia eos comitatura dicitur.

M. Ducale Hassiacum Exeritus agmen de praesenti Jussa discendi accepit; Augustam progreditur. (Jam die 11. Heidelbergam transiit-)

### G a l l i a.

Parisiis die 1. Martii. Monitor refert Caesarem Augustam (Urbs haec nullam arcem proprie

habet, nisi quod ipsa Urbs muro circumdata sit,) post heroicam plurium mensium defensionem tandem 21. Februarii in Gallorum devenisse potestatem. Dux à Montebeilo (Mareschallus Lannes) hanc Urbi Capiulationem concessit: 1) Copiae liberales, si volunt, Regi Josepho fidelitatis iusjurandum nuncupent, ejusque exercitui adlegentur; quod si nolint, Captivi in Galliam ducentur 2) Religio salva conservabitur. 3) Arma ante singularum domorum portas collocata, colligantur.

### B I O G R A P H I A

Vulcanus (Molciber, Hephaestos) filius erat Jovis & Junonis ob deformitatem vultus a Jove Olympo dejectus; secundum vulgarem fictionem Junoni, cum a Jove in Olympo fune suspenderetur, opem tulit. Pater irae propter correptus eum in Lemnum praecipitavit ex quo lapsu Coxendicem fregit, ex quo continuo claudicabat. In Collegio Deorum pincernae munus obivit, & ob monstruosam formam omnibus Diis Cachinni argumentum praebuit. Symbolum est Ignis omnia depascentis,

In mechanica arte sibi similem neminem reperit; opera ignis malleique ope perfici solita praestantissima elaboraverat. Fusio metallorum praecipua ei occupatio. Quo factum: ut Poetae in Olympo ei fabricam assignarent, providisseque omnia Deorum cubilia operibus dicatur. Ex his memoratu digna seqv. sceptrum Jovis, Carrus solis, vigili

tripodes aureis subnixi rotis, susapte Deorum  
 triclinium subeuntes; armorum adparatus Ae-  
 chillis, arma symbolumque Herculis, Apol-  
 linis palatium, aurea Junonis sella, fulmina  
 Jovis, diadema Ariadnes, & armorum adpa-  
 ratus Aeneae; formavit quoque ex auro duas  
 migrantes Captivas, quae euntem suffulci-  
 rent; Notum est artificiosum rete, quo con-  
 jugem suam Venerem cum Marte amoribus  
 indulgentem capit. Jussu Jovis efformaverat  
 quoque ex argilla Pandoram, & ei animam  
 indidit; Prometheum etiam, cui in crescendo  
 homine opem tulerat, rupi alligare debuit.  
 In bello Trojano quoque partem habuit; ita  
 adversus flumen Scamandrum pugnaverat,  
 Trojanisque suo Elemento potenter exercuit.  
 Mulciber in Trojam. — Cultus ei exhibitus  
 in Aegypto, cujus rex Seton relatam de Sena-  
 charibe Assyriorum Rege victoriam Vulcani  
 opi attribuit teste Herodote; & in Graecia,  
 praecipue Insula Lemno; etiam Romae ho-  
 noribus ejus festa decreta sunt, quae potis-  
 simum finem habuere, incendia antevertendi.  
 Aedes ei sacra extra urbem erat. Festa in  
 ejus honorem *Vulcanalia* adpellata. Pingitur  
 plerumque inter operas in sua Officina, mal-  
 leo & forcipe, quam manu tenet, provisus.  
 Ejus ministri a poetis Cyclopes in Aetna la-  
 borantes, secundum illud: *Ferrum exercebant,  
 vasto Cyclopes in antro.*